DE
IURE VITAE ET NECIS
QUOD
COMPETERE DICUNT MEDICO OBSTETRICIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
AD
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CONSEQUENDOS
SCRIPSIT ATQUE
PRIDIE NONAS APRILES ANNI MDCCCXL.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

HENR. MAXIMILIANUS SCHAFFRATH
RHENANUS.

OPPONENTIBUS
I. SCHAEFFER, med. et chir. Cand.
C. UNGER, med. et chir. Cand.
I. DEITERS, med. et chir. Cand.

BONNAE
LITTERIS CAROLI GEORGII.
MDCCCXL.

VIRO ILLUSTRISSIMO

HERM. FRID. KILIAN

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

ATQUE

VIRO MULTO MAXIME REVERENDO

M. H. BURSGENS

AMICO REVERA PATERNO

D. D. D.

AUCTOR.

De iure vitae et necis, quod competere dicunt medico obstetricanti.

Triplici ratione sectio caesarea instituitur: primum ubi mortua matre spes superest citiori auxilio infantem servandi; deinde ubi tantae sunt angustiae pelvis, ut nullo alio modo, ne perforatione fetus aut embryotomia quidem adhibita, partus possit absolvi; tum ubi a perforatione, quippe quae sola per naturalem viam coarctatam ducere valeat caput infantile, fetus vivi caussa abstinere cogimur.

Prima quidem ratio nulli dubitationi obnoxia est. Altera vero quaestionem movet, ad quemnam usque coarctationis gradum perforationem et embryotomiam instituere liceat. Sunt enim, qui in tantis etiam facere eam suadeant angustiis, ubi diametros coniugata quam vocant duos modo digitos vel adeo unum dimidiatumque [1]) adaequet. Longum esset neque a propositis, de ea re fusius disputare. Hoc solummodo monendum videtur, ut pericula, quibus matrem exposituri sunt, respiciant et memores, quam lubrica atque instabilis sit quaevis vivae feminae pelvim emetiendi via, ne ex eo, quod singulis singulatim enarratur contigisse, agendi legem desumere conentur.

Tertia denique ratio, uti quidem est, omnium fere concentu probatur; sed magna dissensio auctorum, si quaeris:

quid faciendum sit, ubi femina sectionem caesaream pati recusaverit?

Qua de re iam a compluribus scriptoribus multifarie explicata disserere et quantum in me erit praecipua colligere indicia mihi proposui.

---

1) Unum adeo digitum, auctore Osbornio.

Ante omnia sua quasi sponte offertur quaestio: num vivi fetus gratia, siquidem hic nullo alio modo potest servari, matrem ad sectionem caesaream sustinendam cogere liceat. Equidem nego, et cur negem, caussam afferam. Neque enim quidquam, quo talis ratio excusari possit, sive ex arte nostra sive ex iure aut naturali aut positivo quod vocatur repetere poteris. Quod omnes medici sibi imperant idque suo iure, ut ne invitum saucient aegrotum ne levissima quidem sectione, etsi scalpello haud adhibito celerrimum morbi incrementum adeoque mortem praevidere possint [1]: id eo magis valet, quo gravius est periculosiusque auxilium ipsum scalpello ferendum. Iam vero quantum vitae periculum aucturus esses, si mater cogeretur, tecum reputare velis. Sed fortasse quispiam dixerit: rem esse singularem, neque hanc posse comparationem institui; matrem enim, cum sectionem caesaream recuset, non solum sibi detrimentum importare, verum etiam fetus mortem afferre. Sed nihil hoc ad medicum, ut mihi videtur. Dolendum utique, quod infantis salus pendet ex arbitrio matris neque ulla arti patet via; verum enim vero solius omnino matris est decernere: num suam ipsius vitam in discrimen offerat nec ne. Quatenus autem mater, quae periculum pro fetu suo adire non vult, religionis et materni amoris praecepta violet, et inutilis quaestio videtur, neque inde vis inferendae potest parari ulla excusatio. Respectu certe dignum graveque, quantum ego video, argumentum merito in eo ponitur, quod, qui de hac nostra re scripserunt et medici et iurisconsulti, quamquam ceteroquin in contrarias sententias discedunt, de matre non cogenda omnes inter se consentire videntur: alii enim pro matris iure palam propugnant, alii tanquam rem, quae per se intelligatur, silentio praetereunt. Nec quemquam forsan invenies stantem cum S t a r k i o [2]),

---

1) Si quis v. c. cancerem cutaneum naso vel labiis insidentem, qui morbus mere localis videtur esse, aut partem gangraenosam excidi non patitur.

2) Ei. „*Archiv für die Geburtshülfe*" etc. vol. II. part. IV p 32.

qui quidem principi ius tribuit matris, ut sectionem caesaream admitteret, cogendae. Quod si ita esset: quisnam cogeret medicum? Sed vehementer dubitari debet, num ius istud revera sit penes principem: id quod equidem haud cunctanter prorsus abiudico; immerito enim confertur cum eo iure, quo usus princeps multa millia in praelium mittere potest. Nam longe diversa est ratio, quam I ā n o u l i [1]) luculenter et perspicue exposuit.

Ab hoc loco non alienum videtur nonnulla disserere de sententia K i l i a n i [2]), qui dubitare se dicit, num ulla mater ab animo impetrare possit, ut fetum suum cladi offerat: itaque a quavis femina, ut capitis periculum pro fetu subeat, utique se postulare. Cuius sententiae, in quam etiam A l b e r t [3]) inclinare videtur, qui e centum feminis in ista versantibus conditione nonaginta certe sponte sua sectionem caesaream subituras esse existimat, rationem habuit iusto minorem W i l d e [4]). Is enim trium feminarum, quas offirmata voluntate esse reluctatas in libris legisset, mentione facta satisfecisse iam se putavit rei tam gravi. At contra ducenta quinquaginta exempla K i l i a n i iudicium fulciunt et sustinent. Equidem quamvis feminam, quae omni admonitioni apta quidem rectaque via adhibitae immobilis repugnet, ullam inveniri, pernegare non audeam: perraro tamen tantam obstinaciam occurrere arbitror eoque rarius et vix unquam, quo aptiori via utuntur medici ad matrem movendam. Etenim ubi mater in detrectanda sectione caesarea perseveravit, non dubito, quin persaepe maiori in culpa sit medicus. Qui ubi non minus ad perforationem vivi fetus, quam ad sectionem caesaream instituendam promptus et pa-

---

1) Ei. „*Ueber Kaiserschnitt und Perforation in gerichtlich-medizinischer Beziehung. Heidelberg* 1834,“ p. 50 sq.

2) Ei. „*Die operative Geburtshülfe. Bonn* 1834.“ vol. II. p. 820.

3) Vid. „*Neue Zeitschrift für Geburtskunde*“ vol. III. part. II. p. 300.

4) Ei. „*Das weibl. Gebär-Unvermögen. Berlin* 1838.“ p. 388.

ratus, utra perficiatur matris solius arbitrio permittit (quam quidem rationem nisi plena caterva, tamen certe plurimi illorum sequuntur, qui necem infantis sibi indulgere non dubitant [1])): nonne verendum, ne mater sectionem caesaream periculossimam mortemque vix incertam [2]) reformidans, quum ab infanticidio sibi multo minus periculoso neutiquam abhorrere medicum videat, immo ad suum ipsius nutum expeditum, auctoritate eius freta maternum animum naturaeque bonitatem facilius reprimat? Quod enim perfieiendum medicus non abominatur, id si ipsa eligit et admittit, se omni labe carere temere opinabitur. At vero longe aliter se habet res, ubi alia utitur medicus ratione, illa quidem, quam rectam esse et prae omnibus adhibendam ducimus. Ne minora, quam quae sunt, exponat sectionis caesareae pericula neve adeo silentio praetereat! Nam ut vera celanda, quamvis optimo fiat consilio, comprobem, tantum abest; ut eum etiam vituperandum existimem, qui, quum sectionem caesaream pluries iam prospere fecerit, nimiam inde fortasse exortam alicuius feminae pro ipsius vita spem cancellis circumscribere supersederit. Ingenue igitur periculo depicto mater admonenda est, ut sectionem caesaream patiatur, quippe quae sola supersit ad absolvendum partum, quo naturae derelicto et ipsius et infantis interitus certe possit praedici: altero enim auxilio, matri quidem sine ulla dubitatione minus periculoso, perforatione scilicet, uti non licere, quoniam infantis caedes inde necessario sequatur. Quae caussae dicendae ratio quan-

---

1) Atque sicut permulti medici, praesertim ii, qui rure medicinam faciunt, omnem aegrotum, in quo scalpelli usus licet cum nulla paene difficultate coniunctus, interdum periculum afferre haud exiguum videtur, timentes ne aegrotus inde mortuus ipsis malam creet famam, ad clinicorum directores mittere solent: ita quoque matris obstinaciam interdum exoptari et lubentius ad perforationem accingi mihi vix dubium est, quum plerumque et conditio feminae et angustiae temporis locique remotior situs illam ad clinicum aliquod deportari non patiantur.

2) Tanta enim proferri libri sunt indicio.

tum ab illa discrepet, quam supra explicuimus, quantoque ad matrem sit efficacior, si animo reputaveris, casu et fortuitu plane factum esse non putabis, ut Kiliano nunquam femina occurreret sectionem caesaream non admissura, atque vel puellae, quibus profecto non tantopere cordi esse poterat vivum edere partum, omnia se lubenter perpessuras esse, dummodo infans vivus in lucem ederetur, animo vix non admirando promitterent.

Sed priusquam in eam ipsam rem, quam rarissime tantum evenire gaudemus, diligentius inquiramus, de periculo sectionis caesareae pauca praemonebimus, quod quidem quamquam ad rem propositam perparvi aut nullius momenti nobis videtur, tamen omnino relinquere ideo non possumus, quod permulti scriptores inde idque immerito petierunt argumenta ad quaestionem nostram diiudicandam. Quantum vero insit periculum ex eventu comprobare vix poteris; eaque ratio etiam minus certa videtur, ubi auctores hanc vel illam viam ingredientes nonnisi suae rationis comprobandae argumenta anxie quaerant. Quo in studio mire adiuvantur, quoniam quot omnino quoque eventu sectiones caesareae institutae sint, non notatum est. Earum enim, quarum notitiam non habemus, copia incerta ab iis, qui perforationem vivi fetus defendere moliuntur, permagna atque nonnisi lethalem eventum exhibens, ab adversariis vero exigua aestumatur. Quamobrem minime mireris, si diversas easque contrarias opiniones in libris invenias. Ita Paraeus, Guillemeau, de la Motte, Dionis, Stoerk, alii sectionem caesaream absolute paene lethalem censent, ut quam in viva femina nunquam liceat instituere: quibus contrarium iudicant Rousset, Scipio Mercurius, Zacchias, Welsch, Ruleau, Sennert. Quae quum ita sint, confidere iis, qui absque argumentis ex experientia desumtis suum modo arbitrium proponunt, superstitiosum foret; sed solum illi, qui collectis et comparatis exemplis iudicium superstruxere, respiciendi erunt iidemque eo magis, quo maiorem exemplorum copiam in promptu habent. Inter quos primum obtinet

locum Michaelis [1]), qui summa diligentia atque critica cura omnes collegit sectiones caesareas, quae usque ad annum huius saeculi tricesimum tertium institutae innotuerunt [2]): unde e novem singulis feminis quinque fere morti succubuisse, quattuor servatas [3]); sectione vero caesarea in eadem femina iterum instituta e sedecim quinque solummodo mortuas esse apparuit. Quodsi hac ipsa quoque collectione nullo modo concipi certum omnino et stabile iudicium, atque earum, quae hucusque non in vulgus editae sint, plures esse infelici, quam felici eventu institutas, haud immerito dixeris [4]): tamen non video, cur Wilde [5]) e decem feminis certe novem succumbere atque evadere vix unam contendere possit, ipse permodicum adeo censorem se praedicans. Quem equidem, ut dicam quod sentio, temerarium atque iniquo animo ductum statuam [6]). Quod autem facile

---

1) Ei. „*Abhandlungen aus dem Gebiete der Geburtshülfe. Kiel* 1833." p. 34—214. — Alios, qui exempla congesserunt, invenies apud Kilian. l. c. vol. II. p. 809 sq. et Wilde. l. c. p. 105 sq.

2) Operae pretium facturus esset, qui illam collectionem usque ad hoc nostrum tempus continuaret.

3) Non IV: III, uti Wilde calculum subduxit. l. c. p. 308.

4) Naegele sexies decies, et Wilde septies sectionem caes. infelici cum eventu institutam esse, scire se dicunt, haud notatam.

5) l. c. p. 110.

6) Nam quo ille auctore utitur, Baudelocque, qui collectis CXI exemplis XLVII faustum eventum habuisse docuerat, postero demum tempore, quum ipse nonnisi infaustum vidisset, offenso animo illa experientiae documenta sprevit. Quod quo iure fecerit, etiam me non monente omnes intelligent. (Ei. „*Anleitung zur Entbindungskunst. Leipzig* 1794." vol. II. p. 303—15 not.) — Osborn autem (Ei. „*Versuche über die Geburtshülfe in natürl. und schweren Geburten. Aus d. Engl. von* Michaelis. *Liegnitz* 1794" p. 292), quem idem sequitur, quantum fidei mereatur, existimabis, si quae ad perforationem vivi fetus defendendam protulerit legeris: *infanti non-*

evenit, ut qui perforationi favent, omnia quae ad suam sententiam firmandam possint conferre, licet pari modo contrariis valeant inservire, in suas solummodo partes convertere studeant: id quoque aequo illi ac strenuo auctori Ianouli evenisse apparet in eo loco, ubi sectionis caesareae periculum cum illo, quod nascitur ex perforatione, quodam modo comparavit. Citatis enim Naegelii verbis: „*Omnibus enim notum est, eos casus* (sc. sect. caes.), *qui felicem habuerunt exitum, summo cum studio, minus vero quibus funestus erat exitus, publici iuris factos esse.*“ [1]) addit Ianouli: „*Hingegen wird sich schwerlich Jemand in den Journalen rühmen, so oft er die Perforation mit glücklichem Erfolge verrichtet hat, weil man mit Recht diese Operation als ein* verhängnissvolles Nothmittel *betrachtet*“ [2]). Quae caussa si vel impedit, quominus perforationes, quae bonum eventum habuerunt, litteris consignatae sint: quanto magis ad infaustas ex industria reticendas commovebit? At vero sectioni caesareae nulla eiusmodi caussa subest. Nam adnuente matre (neque ullam unquam coactam esse persuasum habeo) de instituenda illa omnes fere medici consentiunt: quam ubi mors sequitur, non est, cur medico inde exoriatur vituperatio, quippe quem eundem eventum ubique scalpellum paullo gravius adhibitum habere possit. Quis vero de morte aegroti accusabit eum, qui usum illius revera indicatum omnibus artis praeceptis satisfaciens adhibere non dubitaverit? Quamobrem quum omnino nullam video caussam, quae medicum ingenuum ac probum, ut sectionem caesaream ab ipso infelici cum eventu institutam dissimulet, incitare possit: sectiones caesareas, quas institutas ignoramus, non tot esse crediderim, quot illi, qui periculum contra testem experientiam summum declarant,

---

dum nato nullo tempore facultatem esse sentiendi, quare dici non posset de crudelitate in fetum exercita etc. (l. c. p. 140 sq.)

1) Ei. progr. „*De iure vitae et necis, quod competit medico in partu. Heidelbergae* 1826.“ p. 7 not.

2) l. c. p. 39 not.

suadere velle videntur, atque num semper funestus subfuerit exitus, magnopere in dubium vocaverim. Neque tamen novam meam periculi aestumationem opponere conabor viris clarissimis, id quod iuvenilem aetatem dedecere probe intelligo; sed maius certe sectione caesarea, quam perforatione, matri periculum creari (quod idem physiologia et pathologia haud obscure docent) [1]), lubenter professus, hocce tamen merito pronuntiare posse mihi videor: scriptorum catervam ad maximam partem de lethali exitu iusto maiora atque veris tristiora protulisse [2]). Idque, nisi fallor, eo evenit, quod qui perforationem vivi fetus defendunt, hac potissimum ratione utuntur: matris vitam vita infantis praestantiorem esse. Cui quidem rationi per se satis infirmae, quum nullo modo adhiberi possit, nisi prius sectionem caesaream aeque perniciosam esse matri, quam fetui est perforatio, demonstraverint, periculo quantum fieri potest augendo aliquam verisimilitatis speciem conciliare student. Ita in iis ipsis libris, in quibus de alterius vitae maiori aut minori praestantia data opera non disputatur, nihilosecius inveniuntur caussae fragili isti fundamento superstructae.

Omnia autem, quae ex periculo accurate cognito possunt deduci, duabus quaestionibus continentur. Quarum alteram: num forte ob funesti exitus frequentiam sectio cae-

---

1) Certe quidem exitus multum pendet ex temporis momento, quod eligitur ad sect. caes. faciendam, atque ex cura post illam instituenda, quippe quae organismi in pristinum statum reducendi, quod in partu regulari largissimis praecipue secretionibus fit, naturae rationem quantum potest explere debeat. Itaque multum esset spei, si ubique curam accuratius descriptam simul cum exitu publicatam haberemus, unde firmiora redundarent praecepta. Quam quidem rationem egregie secutus est Graefe in „*Journal der Chirurgie u. Augenheilkunde. Von* C. F. Gräfe *und* Ph. v. Walther.“ vol. IX. part. I, 1. — Cf. etiam Tillmanns in Diss. inaug. „*de lethalitate sectionis caesareae. Bonnae* 1833.“

2) Cf. Kilian. l. c. vol. II. p. 809.

sarea prorsus reiicienda sit, recentiori tempore plane absolutam habere licet, quum exceptis quibusdam Anglis nemo non affirmaturus sit, sectionem caesaream optimo iure institui eandemque fructibus hucusque non caruisse. Altera vero, quae est de alia partus absolvendi methodo, qua minus periculosa eundem possis assequi finem, parum spei relinquit. Sola enim synchondrotomia hoc loco posset adduci neque eandem ubique substituere liceret. Quae valde incerta, dirissima neque minus periculosa quanto iure plane reiiciatur, ut uberius doceam non opus erit, si quae Vrolik[1]), Lauverjat[2]), Baudelocque[3]), Kilian[4]) alii protulerunt, eorum me testem adscripsero.

Quantum vero periculi accuratissima cognitio factura esset ad rem, de qua nobis est disputatio? Equidem non video. Nil enim interest, num periculossissima sit sectio caesarea nec ne, quoniam denegante femina institui nequit: conditio et matris et infantis non mutatur, sequelae eaedem iminent. Medicus autem matris arbitrio quominus scalpello utatur impeditus, quid iam faciendum sit, non ex conditione quae esset, sed quae est, praecepta repetere debet. Sed fortasse obiiciat aliquis: quo maius periculum sit, eo minus matrem, quae adire nolit, esse vituperandam, ita ut maiori quasi iure perforationem instituere liceat. Atqui eo magis medicus vituperandus erit, qui quum matris pertinaciam atque maternum amorem abiectum periculi caussa aequum et iustum censeat, ipse crudeli et absolute lethali actione infantem consulto internecare non cunctatur.

Sed hoc loco abstineamus a longiori caussarum recensione, ne quid nobis ipsi praecipiamus ordinemque conturbemus propositum, quo quidem sententiae, quae de nostra re

---

1) Vid. Sieboldii *„Journal für Geburtshülfe“* cet. vol. I. part. III. p. 542 sq.

2) Ei. *„Nouvelle méthode de pratiquer l'op. césar.“* etc. p. 312 sq.

3) Ei. *„l'art des accouchemens“* etc. vol. II. p. 292 sq.

4) l. c. vol. II. p. 879 sq.

dirimenda exstant, primum adpellandae, deinde qua fulciantur varia ratione, referendum est.

Exstant autem duae praecipue sententiae sibi oppositae. utraque magno auctorum numero armata. Quarum altera sectione caesarea a matre denegata perforationem vivi infantis instituere suadet; altera vero tale ausum omnino respuens matrem sorti suae esse derelinquendam statuit, usquedum infantis mors supervenisse videatur. De his igitur duabus sententiis infra dicemus.

Quae vero a nonnullis scriptoribus viam, ut ita dicam, mediam tentantibus hic illic prolata sunt, infirmitatis parum laudandae magna ex parte specimina, antea paucis attingam.

Inter haec refero consilium illud, quod nonnulli [1]) dederunt, *alius cuiusdam medici arcessendi, ut hic, femina ad sectionem caesaream admittendam iterum admonita, si res non successisset, perforationem institueret.* Pravum profecto consilium medico sincero ac probo plane indignum [2])! Quod si omnibus probaretur: quis tandem rem susciperet absolvendam?

Nec magis placet ista ratio, a quibusdam adhibita [3]), quam ex novissimis Ritgen [4]) et Jörg [5]) sequuti sunt. Uterque enim a perforatione vivi infantis abhorrens, *prius-*

---

1) Froriep („*Handbuch der Geburtshülfe. Weimar* 1822." §. 492. p. 463), Hussian („*Handbuch d. Geburtshülfe. Wien* 1828" vol. III. §. 183. p. 200).

2) Cf. Naegele l. c. p. 10 sq.

3) Dease („*Bemerkungen üb. d. Entbindungskunst in langwierigen und schweren Geburten. Aus d. Engl. von* Michaelis. *Zittau und Leipzig* 1788." p. 72—73), Steidele („*Lehrbuch v. d. unvermeidl. Gebrauch d. Instrumente. Wien* 1785." p. 110), Stein, sen. („*Anleitung zur Geburtshülfe.*" vol. II. §. 661. p. 219), Wegelin (in Starkii „*neues Archiv für die Geburtshülfe* etc. *Jena* 1804" vol III. part. I. 163.

4) Ei. „*Die Anzeigen der mechan. Hülfen bei Entbindungen. Giessen* 1820." p. 382.

5) Ei. „*Handbuch der Geburtshülfe. Leipzig* 1833." §. 488. p. 507.

quam eam instituas, forcipe adhibita tamdiu cum vi quadam in fetum agere proponit, *donec eius vita exstincta videatur.* At huic facinori gravem fraudem subesse facile perspicies. Neque dubito eum, qui, ubi infantis integri expeditio non potuit exspectari, caput eius forcipe amplexus ad mortem usque ocius inde oriundam offenderit, maiori adeo, quam qui statim perforatorio usus sit, culpae obnoxium esse, quum crudeliori modo ac longinquiori nec non matri periculosiori infantem enecaverit [1]).

Qui vero *mariti vel cognatorum arbitrium* sequi volunt, quibus nuperrime Wilde [2]) se adscripsit, iam a Naegelio [3]) et Mittermaiero [4]) apte refutati sunt. Neque marito aut cognatis iubentibus matrem ad sectionem caesaream subeundam cogi posse, neque inde maiori iure, quam iubente matre sola, perforationem institui, vix est, quod moneam.

Illis denique repudiandis, qui *ad iurisperitos* confugiunt *praecepta ab iis desideraturi* [5]), huc adnotare sufficit, quae Naegele [6]) egregie admonuit: „*Qui vero medici a magistratu poscunt, ut is ipsis in eiusmodi casibus leges praescribat, secundum quas se gerant, remediaque adhibenda eligant; hi hoc ipso se tutore adhuc indigere clare indicant. Heu! quas perturbationes perversitatesque excitaret laicorum ad interiora artis nostrae sacra advocatio!*" Atque haec quidem omni iure, quamvis Wilde [7]) de nostra re diiudicanda legislatorum decreta exoptaverit, eumque ipsum libellum eo consilio conscripsisse videatur. — At vero illa quidem Naegelii sententia simul quaevis nostrae rei locis, qui adaptari

---

1) Cf. Naegele l. c. p. 11. — Wilde l. c. §. 254, 55. p. 259.
2) l. c. p 384. §. 389.
3) l. c. p. 13.
4) Ei. „*Neues Archiv des Kriminalrechts.*" vol. VIII. p. 605. X. et p. 608. XIV.
5) Cf. e. gr. Mittermaier.: „*Archiv* etc." vol. I. part. IV, XXII.
6) l. c. p. 13.
7) l. c. p. 6.

possint, ex iure desumptis absolutio redditur irrita, sive a iurisconsultis, sive a medicis tentata sit. Quid enim discriminis interest, utrum medicus a iurisperitis leges postulet, an ipse in iurisprudentiae campum, sibi ne satis quidem exploratum, descendat, ibique, quae sibi inserviant, capessere suscipiat? — Sed „*agimus de iure naturali*," uti Grotius dicit, „*quod ratio omnes homines docuit*" (Krug); *hoc certe ubique terrarum debet agnosci.* Non impugno: sed exhibeatis, precor, istius iuris naturalis praeceptum quoddam, quod valeat de hac nostra re, cui *ἀνάλογον* quicquam frustra quaeritur. Num vero, quae inde repetuntur, ambigua illa et ab omni parte infirma satisfaciant, ubi de vita destruenda agitur? — Quare ubi in hoc meo libro tale quidquam prolatum inveneris, hoc praecipue eo consilio factum existimabis, ut eius infirmitatem monstrarem atque dumeta, ut ita dicam, sophistica, in quae se induerint auctores; minus vero ut eos ab omni parte impugnarem, ne rem agerem ab aliis iam peractam.

Iam vero ea enumeranda et examinanda aggrediar,

quae ad perforationem vivi fetus defendendam plerumque afferuntur.

Nonnulli sunt auctores, v. c. a Zeiller [1]), qui dicant: *matri esse moderamen inculpatae tutelae.* Quod si verum esset: nonne idem eodem iure pro infante pronuntiari posset? Quisnam agressor? mater an infans? Si pariter spinas vellere mihi in animo esset, matrem accusarem, quippe quae infanti naturalem viam persequenti impedimentum afferret. Eadem fere est ratio Mittermaieri [2]) et Naegelii [3]): *matrem versari in statu necessitatis.* Infans enim in eodem statu versatur. Huc accedit, quod modo illi, qui ipse in statu

---

1) Vid. Wagneri: „*Zeitschrift für österreich. Rechtsgelehrsamkeit.* 1825." vol. II.

2) l. c. vol. VIII. part. 4. XIX.

3) l. c. p. 16 sq.

necessitatis est, ius attribuitur alterius oppugnandi, minime vero alii cuiquam a tali conditione alieno. Itaque medicus nullo modo matri contra fetum succurrere poterit, nisi arbitri quasi provinciam usurpaverit. Quod autem matri est facultas medici in auxilium vocandi, inde detrimentum infans non potest accipere. Res enim pari modo se habet, ac si forte *trabes* ista, qua Naegele conditionem istam studet illustrare [1]), ab altero esset occupata elingui vel qui terrore perculsus, quamdiu de vita ipsa dimicaret, nec vocem mittere nec gestu motuque auxilium implorare posset.

Alia auctorum pars hoc nititur: *infantem, antequam nascatur, non esse personam; ideoque impune posse interfici.* Hi vero acriter impugnantur noto illo iuris praecepto: „*nasciturus in sibi favorabilibus* pro nato *habetur.*“ Praeterea in iure Romano infans nondum natus ipso nomine persona adpellatur [2]), incerta quidem, idque merito, quoniam ante partum vitae significatio ambigua est, neque fore ut vivus in lucem edatur, certo sperare possumus; nihilosecius tamen certae in aequo ponenda, ubi de eius commodis agitur, quorum summum et principale sine dubio est vita ipsa. Si vero virtute iudicandum est, qua tandem ex parte, quaeso, infante recenti a partu fetus maturus, siquidem vivit, inferior est? Nulla prorsus. Spirandi copiam facite: spiritum ducet. Facultates et vires omnes adsunt (sicuti in fetibus etiam septimestribus compertum habemus): quominus exerceantur, externae modo res impediunt. Vix igitur operae pretium duxerim, omnia deinceps diluere illa sophismata, inter quae summum: *infantem, utero inclusum, non existere,* protulit Grotius, nuper Teltingii [3]) cuiusdam ineptiis mirum in modum amplificata. De quibus plane refutandis suffecisse mihi videor Ianouliano libro laudato, in quo etiam prio-

---

1) „*Si duo homines in naufragio eandem trabem occupant, quae unum tantum hominem sustinere possit.*“ l. c. p. 18.

2) Gaii Comment. II. §. 242.

3) Ei. „*Diss. inaug. de iuribus nondum natorum. Groeningae* 1826.“

rum, quae modo proposui, argumentorum gravis inest uberiorque refutatio eo maioris momenti ducenda, quum Ianouli ipse in re nostra diiudicanda cum iisdem consentiat, quorum rationes impugnavit [1]). Ceterum equidem de verbis certare nolo, cuiusvis arbitrio lubenter linquens, quonam nomine nasciturum adpellare malit; sed hoc probe scio: medici obstetricantis summum esse munus fetus maturi in lucem promovendi. Cuius motus quum medicus animadvertit, corpus ipsum tetigit, immo digito ori eius admoto suctum sensit, sonum cordis audivit: tum bene intelligit, infantem, qui *non* vel *existit* vel *persona* vel certe *iuridica persona* est, uti Ienull contendit [2]), incolumem modo ex utero protrahendum esse, ut statim personae dignitate prorsus indubia gaudeat. Quodsi vero perforatione eum necaverit, simul personae iam in lucem proditurae vitam destruxit. Sed quid hocce? — Satis erit, medico non personas, sed homines curae esse, inter quos fetum vivum aeque ac infantem recentem a partu procul dubio suo iure refert.

Hoc loco commemoranda saltem videtur eiusdem fere generis opinio. *Infantem*, dicunt, *partem ventris esse vel portionem vel viscerum mulieris; quare mater excidium eius tanquam membri morbosi vitaeque infesti, suo iure possit expostulare.* Profecta haec opinio ex Ulpiani [3]) verbis pravo consilio usurpatis satis superque iam revicta est, ita ut temeritas illa, qua denuo Wilde [4]) gravissimis summique ponderis istam adnumeravit, stuporem certe mihi moveret, nisi quae aliis locis attulit futiliora nugisque fere adscribenda, stuporis quemcunque locum demerent. Legas, quaeso, quibus amorem erga infantem nondum natum matri inesse nullo modo posse [5]) conatur nobis probare. *Quia matri fetus non*

---

1) l. c. p. 25 sq.

2) Vid. Wagneri: „*Zeitschrift für österreich. Rechtsgelehrsamkeit.* 1826." vol. I.

3) „*Digest. de inspiciend. ventr.*" l. XXV. tit. IV leg. I. §. 1.

4) l. c. §. 366. p. 358.

5) l. c. §. 396. p. 390.

sit cognitio neque imago. Ita quoque fieri, ut nos omnes nobiliora magisque necessaria viscera parum aut nihil amemus, iisdemque nec consulamus nec parcamus; speciem vero corporis, quantum fieri possit, conservare adeoque lenociniis corrigere et distinguere studeamus. Quid, clamat, *hisce temporibus fieri videmus ad cultum cutis, crinium, dentium? Quot res in promptu sunt iis, qui inter pectinem speculumque occupati sunt?* [1]) Auditisne patronum vestrum, homunculi elegantiores, pumicati, de capsula toti? vos, qui circinnulo leviter disturbato salutem desperare soletis, rerum intra calvariam minime curiosi! — Proh Iuppiter! nonne lectori dubitatio subnascitur, num scriptor, qui eiusmodi usus est argumentis, suam ipsius sententiam potius cavillari, quam firmare velit?

Ianouli postquam aliorum rationes et argumenta ad perforationem fetus vivi defendendam examinavit omniaque ad unum agnovit fucata atque inania, ingenue confessus est: *nisi sibi ipsi melior esset caussa, cur in eandem abiret sententiam, semet in contrariam transire cogi, quippe quae uno certe momento eoque non exiguo illa praestantior esset, hoc scilicet, quod sectio caesarea* utriusque *vitae servandae non omni spe esset privata* [2]). Iam videbimus, quanto melior sit huius auctoris caussa. *Pactum quoddam tacitum esse* contendit *inter rempublicam et feminam, ex quo matri ius esset sectione caesarea reiecta necem infantis a republica postulandi* [3]). Quodsi negari quidem nequit unumquemque civem pacto quodam teneri pro ordine ac viribus vario: inde nil potest lucrificare Ianouli, quum pactum esse hoc loco non sufficiat, sed quod eo contineatur planum sit faciendum. Etenim de una eademque re diversissimo modo pacisci licet legibus non violatis, quum id ipsum, quod pacto contineatur,

---

1) l. c. p. 393. *„Was gebraucht man jetzt nicht Alles für die Toilette?“*

2) l. c. p. 58 sq.

3) l. c. p. 59 sq.

praecipue ex consensu eorum pendeat, qui paciscuntur. Quocirca non video, cur minorem habeamus fidem Mendeio, qui ita rem interpretatus est: „*Indem ein Mädchen eine Ehe eingeht, ja indem es sich überhaupt nur auf Begattung einlässt, übernimmt es an und für sich schon die Gefahren, die mit dem Fortpflanzungsgeschäfte verbunden sein können, und die Verpflichtung, sich ihnen nicht durch Beeinträchtigung der Gesundheit und des Lebens des in seinem Schoosse Erzeugten zu entziehen.*" [1]) Quae enim Ianouli in contrariam partem affert, pònderis nihil habent; metus vero, ne ubi de trucidando infante respublica recusaverit, civium sensim exoriatur inopia, plane vanus est. Namque ne angustissimis quidem rebus propagationem comminui, experientia edocti scimus. Cuinam igitur caussa ista singularis eaque rarissima tantum timorem iniecerit? Nonne saepius etiam puerpera alia qua ex caussa moritur? Atqui natura sine dubio maiori instructa est sapientia, quaeque consequi vult, animantibus ita infixit, ut nullo modo aut evelli possent aut supprimi. Quot res, ad quas minus acriter natura compellimur, perficimus, haud rarius mortiferas? — Si igitur liberorum procreatio ne coërceatur, nulla ex parte verendum est: quid iam lucri fert reipublicae pactum Ianoulianum? Nihil omnino; plus adeo iacturae. Etenim in feminae gratiam, quam in omne tempus stirpe carere providemus, infantem mactaret, quem novae civium seriei auctorem futurum sperare licuit. Si insuper talis femina sano nupta est viro, in hoc quoque nulla spes constitui poterit, quoniam is venere aut omnino abstinebit aut, si concubare pergit cum uxore, liberos procreabit pari modo neci dicandos. — Si vero femina quoque ex tali pacto fructum percipiat, haud minus oportet: nonne etiam huic Mende prospexit? Fingamus (ita enim idem ille Ianouli rem agit) feminam a statu naturae recedere, ut in civitatem recipiatur: quanta subsidii copia illi offertur? Annon in statu

---

1) „*Beobachtungen u. Bemerkungen aus der Geburtshülfe u. gerichtl. Medizin. Göttingen* 1828." vol. V. p. 80.

naturae sexcenties interitura esset mulier parturiens? At artis ope vita servatur. Quid? si eam ipsam caussam, quae agitur, respicis, quamvis sectio caesarea periculosissima tibi esse videatur: statum naturae ne speculam quidem offerre fateberis. Cuius rei ratione habita Mendeium in commodis distribuendis feminae paullo quidem minora adiudicavisse, sed eo maiora rei publicae, non infitias ibis. Quodsi singulorum commodum communi in universum posthabendum est: equidem, si alterutram eligi oporteret, interpretationem, qua Mende rem explanare studuit, Ianoulianae praeferrem. At vero quum in utraque (ut alia omittam) praeprimis id, quod caput rei est, desideretur: in illorum sententia acquiescere, quum de re gravissima, de ipsa vita humana agatur, summae foret levitatis atque temeritatis. Hoc enim loco, ut iam monui, pactum esse non sufficit, sed quid eo contineatur ita ante oculos poni necesse est, ut omnis dubitatio funditus tollatur. Praeterea si inter rempublicam et mulierem vivi infantis occisio convenisset, inde minime obligaretur medicus, ut perforationem institueret. Nam hic quoque, si placet, pacto quodam niti potest, ex quo libera potestas secundum artis suae praecepta agendi ei conceditur. Quod vero inter rempublicam et matrem est pactum, id curare medicus non tenetur. Ita quoque ei, qui crimen capitale commisit, haud dubie ex pacto quodam supplicium est subeundum: num idoneam, ut medicus istum interficiat, postulandi caussam respublica habet? Quod qui contendat, certe non facile quemquam invenies. — Iam vero si medicus, quid faciendum sit, ex artis praeceptis suaque ipsius animi conscientia mutuatur: id, quod mater flagitat, num moribus et religioni repugnet nec ne, minime negligendum erit. Quodcunque enim auxilium a medico latum solius medici, ut qui suae potestatis sit, actionem ducimus, non matris, cuius instrumentum quasi medicum esse nonnulli vix satis exprobandi computarunt.

Quae iam restant, ex ipsius conditionis, qualis sit aut futura sit, ratione repetita sunt. Ita de periculo, quod cunc-

tatione matri paretur; de morte infantis, quam nihilosecius evitare non possimus; de signorum, e quibus fetum bene figuratum esse efficiamus, fallacia aliisque eiusmodi carptim aut copiose disseritur. Talia autem quantopere vacillent et claudicent omnia, non difficile est intellectu. Etenim vel solius matris ratio habetur; vel, quantum intersit inter infantis mortem sponte ortam et necem a medico illatam, non ponderatur; vel quae excipienda sunt, iis regulae dignitas tribuitur. Quod quam verum sit ut comprobemus, ne longi simus, extremis saltem digitis rerum summas attingamus.

Si res — ita dicunt — *naturae committitur, infans certo interibit; praeterea mulier in summum vitae discrimen vocatur.* Non negamus quidem; sed quid inde sequatur ad defendendam fetus occisionem, non videmus. Rem enim ita natura esse institutam dolemus, ut medicus honestus et probus absque magno mulieris periculo succurrere nequeat: quod auxilium ubi ea recusaverit, quid porro iam accidat, crimini dari non poterit medico. *Sed infans nihilo minus brevi morietur: cur non interficiatur?* Mater et ipsa serius ocius morietur, uti omnes mortales, neque natura caedis et ratio ex ea pendet quaestione: num vita, quae adimitur, brevius an longius temporis spatium durare potuisse verisimile fuerit. Nimirum eum, qui morbo desperato afflictus animam iam agere videtur, quamvis, quae vitae pars admodum exigua reliqua est, cruciatu et tormento oppleta sit, ne levissimo quidem modo iucundae, uti dixerim, morti obviam ducere licet. *Ita sane*, respondebis fortasse; *sed hoc eam ob caussam, quoniam potest, ut momentum aliquod medici aciem fugerit, neque omnino exploratum habemus, annon singulari quadam et inaudita naturae vi diutius vita possit servari.* Non habemus neque hic neque illic. Etenim pelvi valde coarctata haud raro cranium fetus sponte disrumpi, quin etiam vivum infantem solius naturae virium contentione protrudi posse, observatio docuit. Quod idem interdum evenit, ubi ad sectionem caesaream aut perforationem faciendam medici iam aggrediebantur. Cui rei J. Hamilton, Stein sen., Mursinna,

Primus, Osiander jun., Lachapelle, Bertrand, Weese, Imbimbo, Puzot, Alex. Hamilton, Baudelocque, Capuron, Boivin, Klein, Horn, Noury, alii exempla adiunxerunt. Neque illis ceteroqui dignissimis quidem, quae respiciantur, hoc loco videtur opus esse. Res enim ipsa loquitur, et omni iure proponi quaestionem puto: quantulum vitae, quod reliquum est, praecidere liceat. Horam? cur non plures? — Diem? cur non duos? cur non mensem? — Frustra quae apte respondeatis, quaeretis. — Medicus igitur ubi nonnisi altera vita deleta alteri potest succurrere, manus abstineat, naturae cedat, ne suae prudentiae arroganter confidens de vitarum pretio constituere conetur! Quodsi nonnulli disputarunt de matris vita praestantiori (cuius rei supra mentionem fecimus) operam frustra contriverunt; neque enim quisquam idoneam afferre poterit rationem, ex qua instituatur pretii comparatio. Praeterea negligentia praeteriisse videntur: utramque vitam artis ope servari posse; quod alterum licet alterius vitae magnum periculum adiunctum habeat, tamen haud raro successit. Hoc autem periculum ad infantem servandam si mater suscipere non vult illius amore ac studio suae ipsius securitati posthabito, lubentissime excusant eam (neque repugnabo); infantem contra plane pro nihilo aestumant, quippe quem matris gratia, periculi caussa officia denegantis, non maiori periculo exponant, sed adeo mactare non extimescant.

Sed *indicia, e quibus infantis vitam concludimus, magis minusve ambigua et fallacia; praeterea fetus monstrum esse potest vel hydrocephalus.* Sane potest: sed sexcenties reperimus bene figuratum, ita ut per analogiam locupletissimam, ubicunque vitae aliqua significatio appareat simulque desit deformitatis quodlibet indicium, infantem omnibus membris aequalem et congruentem exspectare cogamur. Et plerumque non fallimur; monstra rarissime occurrunt. Simili modo respondendum erit illi quaestioni vel potius orationis ornamento: ,,*Quid, quaeso, obstetricanti benevolo et humano gravius accidere potest sectione caesarea mortuo iam infante*

instituenda?" [1]) Cui non inepte adponitur alia quaestio: quid gravius accidere potest, quam perforatione vivi fetus peracta matris quoque mortem adduxisse? Quod idem accidere posse, exemplorum divulgatorum numero haud exiguo iam innotuit, ita ut vel nonnulli, e. gr. Mende, perforationem matri aeque periculosam ducant, ac sectionem caesaream, qua adhibita ubi infans demortuus producatur, medicum omni culpa vacare arbitror, dummodo signis, quae vivum infantem contestari viderentur, omni artis auxilio, quousque pollet, sedulo usus iudicium superstruxerit. Quae defensio vehementer dubito num sufficiat, ubi medicus altera vita consulto deleta simul alteram exstinxerit.

Iam vero iis, quibus perforationem vivi fetus plerumque defendunt, quum satisfecisse videamur, ad alteram sententiam transeamus:

matrem, quae sectionem caesaream recusaverit, sorti linquendam esse, quoad infantis vita exstincta esse videatur.

Cui sententiae, quam et ipsi amplectimur, varia, quibus fulcire eam student, adminicula subiungere hoc loco eo minus nobis in animo est, quum duo praecipue ita solida ac firma ducamus, ut reliquis non facile quemquam aegre carere arbitremur. Alterum iam hic adpono.

Sectio caesarea sola utriusque vitae servandae spem ostentat, ideoque haec una ex omnibus patet via, quam tentare medicum ius fasque esse potest. Quod ipsum satis perspicuum eo magis sub oculos cadet, si hanc agendi viam cum contraria comparaveris. Certe quidem medicus utramque vitam respicere debet idque pari prorsus eodemque studio. Mirum autem atque inauditum est illud Mittermaieri: *medici nonnisi matris servandae munus esse.* Quod, si veram rei rationem exigis,

---

1) Naegele l. c. p. 7.

significaret id solum et unum agi, ut mater onere quodam liberaretur vili, quod num pessum iret, prorsus nil interesset. Atqui nobilius obstetricantis munus longeque generosius est! Qui quum matrem partu liberare maxima, quantum fieri potest, ipsius securitatis ratione habita: tum infantem in lucem proferre integrum, aequa profecto eademque religione tenetur. Matrem vero, quippe quae auxilium implorare periculumque suscipiendum recusare possit, quis anteposuerit? infantem, quoniam eadem facultas desit, quis posthabuerit? An de tacito consensu quis dixerit? Nonne potius res pariter se habet, ac si cui dormienti vis inferretur? Magis certe esset humanitatis, si quis infantem, qui plane inops sit, ob hanc ipsam caussam ab omni parte tuendum esse putaverit. Quamquam non adversarer, ubi id modo intenderetur, ut fetus tanto, quantum mulier subire recusaverit, periculo exponendus esset. Sed certissimae morti obiicitur! Et quamnam eius rei caussam habent? Nonne quod magnum quidem periculum neque tamen omni spe destitutum mater tantopere extimescat, ut omni amore materno abiecto pietatis religionisque monitionem spernens suum infantem exitio obiicere velit? Nos enim periculum illud suscipere debitum esse matris putamus animo materno, dummodo integer sit, penitus insitum; quo spreto, quae iam insequentur, in se recipere debebit. Luctuosius profecto infantis exitium est, quod sola matris obstinacia adducitur. — Alterum autem sententiae nostrae adminiculum hocce est:

Caedes infantis consulto interficiendique animo facta nullo modo potest defendi. Neque hoc ne mediocri quidem ratione hucusque successit, licet multifarias vias diversissimasque tentaverint auctores. Atque haec quidem rationum varietas, quantopere vel ipsi perforationis praecones purgationem facinoris necessariam esse sentiant, certo nobis indicio est. Nam cur non acquiescunt in hac sola ratione simplicissima: *mater non est cogenda; nullo lato auxilio uterque morietur: ergo fetum necemus, ne mater simul intereat?* At in dumeta correpere malunt vel iuris praecepta

a nostra re prorsus aliena et inepta proferre. Ita *tutelam inculpatam* adpellant; alii, dum illam reiiciunt, de *statu necessitatis* loquuntur, cui quidem, quoniam ad eum tollendum matris arbitrium libidoque sufficit, omnis necessitas ipsa adimitur; alii de *personae* notione mira nobis persuadere volunt: denique argumentorum fallaciis inhiant, quibus infantem iamiam nasciturum et recentem a partu plurimum differre nobis probent illumque tanto inferiorem esse, ut sine ulla dubitatione audacter possit interfici. At vero nos non item movemur; immo quivis medicus, qui muneris sui honestatem et sanctitatem bene percepit, graviter indignari debet, quum a quibusdam in hoc devocatum abiectumque se videat, ut ipse ex matris arbitrio et libidine machinae instar dependeat. — Neque adeo ut graviore occisionis crimine, quod nostra lingua „*Mord*" adpellamus, infantis caedes liberetur, contingit. Nam caedem *dolosam fuisse vel hostili interficiendi animo factam* [1]) haud necesse est. Quamquam ne hoc quidem omnino deest. An forte b e n e v o l o animo infantem necari aliquis contenderit? Qua fere ratione, ubi v. c. fanatico furore incensus pater filium mactaverit eo quidem consilio, ut hic citius in loca caelestia perveniret, facinus quodammodo excusari posset. Sed huic excusationi, licet magnam probabilitatis speciem habeat, cave, ne nimiam vim tribuas. Ubicunque enim quaevis legitima caussa deest, caedes quaelibet, dummodo consulto et interficiendi animo fiat, notioni „*Mord*" subesse videtur.

Itaque, donec aliquis attulerit, qua re infantis caedes culpa liberetur (id quod vix unquam obtinget), medicus probus et religiosus tali abstinebit actione et tempus exspectabit, quo, quantum eius fieri potest, mortis indicia adsunt. Eius vero rei plerumque certissima indicia deesse, nisi putredinem manifestam exspectare volumus (quod quidem tempus ut matris vitam excedat, fieri potest), non impediet, quominus medicus, postquam ex optima animi conscientia eaque artis

---

1) ut N a e g e l e putat l. c. p. 12. not.

praeceptis fulcita de infantis morte sibi persuasit, perforationem instituat. Nam hac usus ratione ubi forte infantem nondum plane emortuum perforavit, interficiendi et animus defuit et consilium, ideoque ipse omni culpa vacat. Est autem artis nostrae cum honestate et sanctitate arctissima coniunctio, qua sublata quo medicus, si constare sibi volet, rapiatur, tristissimum nuper nobis exemplum praebuit Wilde, cuius cum singula ruminare taedeat, eorum gratia, qui plura cupiunt, librum indicasse satis habemus. [1])

1) Cf. inprimis l. l. p. 303, 311, 313—18, all.

Errata.

P. 1. vers. 14. ab imo pro „*esset*“ legas „*est*“.
P. 4. „ 9. a summo pro „*perfieiendum*“ legas „*perficiendum*“.
P. 17. „ 3. ab imo pro „*exprobandi*“ legas „*obiurgandi*“.

V i t a.

Natus sum VII. Idus Septembres MDCCCXIII. in pago Niederkruechten Belgis confini parentibus Henrico Daniele Schaffrath medico et Catharina Josepha e gente Schwarz, quos ex multis iam annis morte abreptos lugeo. Scholas, in quibus elementa litterarum tradebantur, frequentavi Castris, deinde Bedburgi, oppidis prope a Colonia Agrippina sitis. Sed quum iam in eo essem, ut ad humanitatis studia progrederer, praematuro patris dilectissimi obitu per complures annos plane detentus sum, opportunaque demum rerum concursione gymnasium, quod floret Heidelbergi, adire licuit. Unde tribus annis dimidiatoque praeteritis reversus in patriam gymnasium Marcoduranum per annum unum dimidiatumque frequentavi. Studiis ibi absolutis Bonnam me contuli atque a cl. Brandis in civitatem Academiae Rhenanae adscriptus nomen coram ill. Mayero professus sum. Quo facto quum per semestre spatium medicinae operam dedissem, et corporis valetudo labefacta et rerum familiarium angustiae animum ita infregere, ut per annum dimidiatumque metam attingendi spe plane destitutus nil fere in studiis proficere valerem. Exinde vero, ubi fausta rerum commutatio spem boni eventus restituit, denuo ad studia artis divinae absolvenda vires impendi.

In scholis, quibus per quattuor annos dimidiatumque interfui, disseruerunt hi clarissimi viri:

a Calker de logicis et psychologia, Delbrück de aesthetica, Plücker de physica, G. Bischof de chemia universali, Noeggerath de mineralogia, Treviranus de botanice, Goldfuss de zoologia;

M a y e r et W e b e r de anatomia corporis humani; W e b e r de situ viscerum, physiologia, anatomiae summis partibus; H a r l e s s de historia medicinae, toxicologia, de libro Hippocratico, qui inscribitur: *de aëre, aquis et locis*; N a u m a n n de pathologia generali, pathologia et therapia speciali morborum acutorum et chronicorum; E. B i s c h o f f de materia medica, arte formulas medicas concinnandi, de medicina forensi, epizootiis; N a s s e de anthropologia, therapia generali et speciali, de rebus clinicis; W u t z e r de anatomia chirurgica, selectis chirurgiae capitibus, chirurgia universali, morbis oculorum, sectionibus chirurgicis et fasciis applicandis; K i l i a n de arte obstetricia.

Praeterea duces mihi fuere illustrissimi viri: M a y e r et W e b e r in secandis cadaveribus; W u t z e r in sectionibus chirurgicis in cadavere instituendis; K i l i a n in rebus obstetriciis in machina, quam vocant phantoma, exercendis. In clinico medico, quod ill. N a s s e moderatur, per semestre spatium propaedeutica instructione fruitus, per anni dimidium auscultavi, per annum medicinam exercui; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico duce ill. W u t z e r. per annum auscultavi, per semestre tempus aegros curavi; in clinico obstetricio, quod moderatore ill. K i l i a n. floret, per sex menses auscultavi, per annum parturientibus praesto adfui.

Quibus viris omnibus optime de me meritis summas quas possum gratias ad cineres usque servabo.

Theses.

1. *Medicus non semper minister naturae, immo interdum adversarius est.*
2. *Cerebro non imprimuntur rerum imagines vel signa, ut quae memoriam efficiant.*
3. *Menstruatio nec sanguinis congesti effluvium, nec nutritionis exuberantis secretoria est depositio.*
4. *Quo melior valetudo, eo in plures morbos propendit.*
5. *Non quivis morbus complicatus chronicus est.*
6. *Substantia nigra, quae in glandulis bronchialibus invenitur, carbonem potius vegetabilem, quam animalem, continet.*
7. *Delirium tremens ex irritabilitate cerebri adaucta originem ducit.*
8. *Plethora localis symptoma tantum est.*
9. *Phthisis bronchialis in infantibus frequentior est, quam pulmonalis.*
10. *Empyematis, licet cum bronchis commercium habeat, apertio interdum indicata est.*
11. *Synchondrotomia plane reiicienda est.*
12. *Sectio caesarea nunquam cum alia partus absolvendi methodo pugnat.*